



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||  
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per  
Quæstiones explicatur**

**Eisengrein, Martin**

**Ingolstadii, 1577**

**VD16 E 795**

VIII. Quoties interior[es] & mentalis peccatoru[m] Confessio soli Deo fieri  
debeat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30362**

quando ad recordationem venerimus, statim effugit cogitatio, & transimus ad alia, & nec integra quidem hora patimur animam nostram afflictione mœroris huius astringi.

Hęc igitur caussa est, quòd malis addimus mala: Quid enim prohibet, vbi nihil metuitur, vbi nihil verecūdię, nihil pudoris admittitur, vt nō in omnes perditionis foueas demergamur? Quas, ne incidamus, Dominus apud Ezechielē saluberrima admonitione nos Ezech. 20. pramunit: Recordabimini, inquit, viarum vestrarum, & omnium scelerum vestrorum, quibus polluti eratis, & displicebit vobis in conspectu vestro in cunctis malitiis, quas fecistis, & scietis, quia ego Dominus, cūm benefecero vobis propter nomen meum; non secundūm vias vestras malas, neque secundūm scelera vestra pessima.

*Quoties interior hæc & mentalis peccatorum Confessio soli DEO fieri debet?*

*Questio  
VIII.*

**S**ine intermissione: Si enim oratio nostra ad DEVM perpetua esse debet; orationis autem præsertim illius, quam nos docuit Christus, vis tota in eo consistit, vt DEI bonitati omnia, nobis nihil tribuamus, DEI nomen sanctificemus; nos verò nostraque opera coram DEO accusemus, ac

*Responsio.*

D                      damne-

## Caput II. De Definitione

damnemus, ad misericordiam eius perpetuo respicientes: Consequens est, ut hæc quoque Cōfessio nunquam intermittenda sit, quòd hæc Confessio omninò sit, aut oratio illa, quam à nobis requirit D E V S, aut saltē ora-

tionis eius ipsissima medulla: Quid enim aliud est confiteri DEO, quàm displicere nobis; illius verò omnipotentiam, sapientiã & bonitatem semper & ubique prædicare?

Aug: libr. 10. Confess. cap. 2. Psal. 66. Pulchra parænési vsus est Augustinus; Confiteantur, inquit, tibi populi D E V S, inuenerunt viam tuam: Confiteantur, ipsa cantatio, Confessio est, Confessio peccatorum est virtus D E I, tuam iniquitatem confitere, gratiam D E I confitere; Te accusa, illum glorifica; Te reprehende, illum lauda: ut & ipse veniens, inueniat te punitorem tuum, ut exhibeat se tibi Saluatorem tuum.

Cùm itaque nihil tam è re sit hominis Christiani, quàm gratiam D E I in Baptismo acceptã sic exornare, ut ea duce, quàm optimus ac sanctissimus euadat, veteres illi Patres, quorum vestigiis æquum est nos insistere, ad id imprimis cōducere existimãrunt, quotidianam vitæ suæ disquisitionem.

Primùm quidem, quòd ea sit ratio compendio agnoscendi sui ipsius, dum causæ vitiosarum actionum in nobis ipsis ferè semper inhærere deprehenduntur, quas nisi demus operam, ut quàm primùm summoveamus,

mus, ac euellamus, indigni sumus, qui virtutis nomen profiteamur.

Deinde, id etiam consequimur, vt ex frequenti vitiorum nostrorum commemoratione, via nobis extet facilior ad eorum Confessionem coram Sacerdote perficiendam; aliò qui enim ex negligentia malefactorum, non solum obliuio, verum etiã contemptus, (quod est nequissimum) nasci solet.

*Quænam est soli DEO confitendi ratio & modus?*

*Quæstio IX.*

**H**Æc est DEO confitendi ratio ac modus. Peccata nostra Christus debita appellat, Nos, DE I villicos, cum quibus sit positurus rationem: Ergo codex rationum nobis conscribendus est. Codicem habemus conscientiam nostram, in hac peccata nostra & maiora, & minora, tanquam in libro scribere oportet, deinde confiteri; non tantum, quia multa in nobis delicta sunt, verum & peccata sigillatim, idque frequentius, recensere, atque ante oculos ponere, & hæc tanquam nuper admiffa lugere: Ita enim & animæ arrogantiam frangemus, frequentius eam de malis suis, & vitiis commonentes, & cautela nobis (ne vltra in eadem delicta incidamus) acrior nascetur; vt interim taceamus, hac Confessione fidem quam maxime acui, & exerceri, sine qua non accipimus remissionem peccatorum.

*Responsio.*

Ratio confitendi Deo.  
Matth. 6.  
Chryso. in Psal. 50.